

BOTANISCHES INSTITUT  
der k. k. Universität.

J. № 6528

B C 42 / 17

C 42  
7

egia  
s Medicinae

quam

Illustrissimo ac Magnifico Domino Praesi-  
di et Directori, item Clarissimis D. D.  
Professoribus, totique Inclytae Facultati  
Medicae Vindobonensi.

Novo anno

Muneris instar

Animo devotissimo  
obtulit.

L. Basilius Papp,

Transilvanus Mezü - Keménytelkiensis, in Antiquissima,  
ac celeberrima Universitate Vindobonensi Physiologiae et  
Chemiae Ordinarius Auditor.

Illustrissimo Comiti Joanni Nemes de Hidvég  
Caesareo Ephebo et in Caesarea Regia Nobili-  
um Academia Theresiana Jurium in alterum  
Annum Auditori, Dilectissimo Musarum Amico  
in perennis observantiae tesseram  
dedicata.

---

V i e n n a e.

Anno aerae christianaæ.

MDCCCXIII.



BON

Elegia  
laudibus Medicinae

quam

Illustrissimo ac Magnifico Domino Praesi-  
di et Directori, item Clarissimis D. D.  
Professoribus, totique Inclytæ Facultati  
Medicae Vindobonensi.

Novo anno

Muneris instar

Animo devotissimo  
obtulit.

L. Basilius Papp,

Transilvanus Mezö-Keménytelkiensis, in Antiquissima,  
ac celeberrima Universitate Vindobonensi Physiologiae et  
Chemiae Ordinarius Auditor.

Illustrissimo Comiti Joanni Nemes de Hidvég  
Caesareo Ephebo et in Caesarea Regia Nobili-  
um Academia Theresiana Jurium in alterum  
Annum Auditori, Dilectissimo Musarum Amico  
in perennis observantiae tesseram  
dedicata.



V i e n n a e.

Anno aerae christianaæ.

MDCCXIII.

BOTANISCHES MUSEUM  
der k. k. Universität.

J.Nº 6528

B C. 42/17

— — — dat medicina Salutem;  
Quaeque juvans monstrat, quaeque sit herba nocens.

Ovidius.

## *Illustrissime Comes!*

Dificile erat, Comes Illustrissime! nediam difficillimum, in tanta Maecenatum copia unum eligere, cui rudem hunc ingenii foetum sacrum facerem, nec alia hoc mihi via sciendum erat, qvam ut aleae rem commiterem. Jacta est alea, Teqve Comes Illustrissime, qvem in animo meo jam pridem candidaveram, sors elegit. Patere igitur Comes Illustrissime! ut hos versiculos gratum erga Praeceptores meos animum (qvalem et Tu erga Tuos geris, et semper gessisti) undique spirantes, Tuo Nomi sacrificem, hisque meam erga Te observantiam, tester, Nec spero sculum, verum etiam firmissime confido fore, ut humillimae, justissimae que petitioni meae facilis annuas, cum ex Illustri il-

la prosapia ducas originem, cuius Majores  
Litteras juxta ac Litteratos summo semper  
honore prosecuti sunt, qvibus, cum opes,  
qvas fortuna distribuit, sint caducae, et  
brevi tempore duraturaे, immortales per  
hos erigentur columnae. Tuqvoque, qvam  
vis et nascendi felicitate, et opum facul  
tate tantus sis, Majorum Tuorum vestigiis  
apprime insistens, qvod certe facis, Ma  
jor eris, Maximum autem efficiet Te ex  
cellens Tuum ingenium, qvo Tuos inter  
Conscolares semper eministi, Tua Humanitas,  
qva summos, imosque absque di  
scrimine amplectaris. Vale igitur Comes  
*Illustrissime spes Patriae, Juvenum Decus,*  
*Familiae ornamentum*, et hoc levidense  
munusculum eo accipe animo : qvo Tibi  
dedicat

Tuus

Humillimus servus  
Author.

Illa dies rediit niveis ornata capillis,  
Iane (a) Deus! quondam, quae tibi sacra fuit,  
Quà tibi, nec fallor, qua dulcia mella litabat  
Roma potens, gemini dum caput orbis erat.  
Nunc quoque nota dies, sed hebraeo sacra Puello,  
Tartara, qui falsos misit ad ima Deos.  
Hac Genitor Natis, hac charus Amicus Amicis,  
Hac patiens Medico munera ferre solet.  
Inclyta! quam veneror, magnorum, Turba, virorum  
Quos alit in gremio Mater Hygaea (b) suo.  
Ipse quibus proprias artes concessit Apollo, (e)

---

(a) Ianus Coelo et Hecate procreatus, annorum et  
mensium Deus, antiquissimus Italiae Rex, ab hoc  
Iano Ianuarius mensis nomen accepit, cuius Calendis  
festus ei dies habebatur, quo die ei praeter far, et  
vinum, mel quoque litabatur;

(b) Hygiaca: id est sanitas. Aesculapii filia, soror  
Iasus, medicinae scientia utraque non leviter imbuta.

(c) Apollo: Iovis et Latonae filius, Medicinae inven-  
tor et praeses, quod Nymphae, quam nimis deperi-

Quid quid et herbarum crescit in orbe , dedit.  
Quae Tibi pro meritis? quae munera digna feremus?

Qui colimus doctas , numina vestra , Deas.  
Nil habet infelix Helicon (a) juga praeter, et umbras ,

Sed juga quos ? et quos labilis umbra juvat ?  
Haec dare fors possem, fors et meliora dedissem ,

Tiro forem castris , ni novus ipse , Tuis.  
Namque Togam (b) Genitor, Genitrix mihi pallia  
suasit (c)

Haerebamque duas inter et ipse vias.  
Iussa sequor Patris, Matris pia suasa recuso ,

Saepe piis Natis non licet esse piis.  
Iura prius disco , titulorum captus amore ,

(Hoc iter ad titulos tutius esse solet).  
Vidit , et invidit aliis me vester Apollo ,

Et mihi (nam nemini) talia verba dedit:  
Quid facis ? O ! Iuvenis nostris aptissimus armis ,

Siste gradu , et nostris fer tua sacra foci ,  
Quale decus nuper (sed nomina sponte tacebo)

Quidam Discipuli promeruere mei,  
(Non patitur partas audire modestia laudes ,

Sufficit has magnis, promeruisse viris.)

---

bat , gloriose jactat, — — — — Inventum medicina  
meum est, opifexque per orbem Dicor, et herbarum  
est subjecta potentia nobis. Ovid. Metam.

a) *Helicon*: Mons in Baeotia prope Phocidem non  
procul a Parnasso juxta quem fons Caballinus a Pe-  
gaso factus reperitur , Phoebo et Musis sacer.

b) *Togam*: hoc est statum civilem , et quidem stricte  
politicum.

c) *Pallia*: Statum ecclesiasticum ; utrumque qua signum  
pro re significata ponitur.

Tale decus quondam dixit: Te , crede, manebit,  
Te modo Discipulum profiteare meum.

Promissis capimur , promissis capta refertur

Tyndaris (a) his Theseo (b) Gnosia (c) capta  
fuit.

Quaeque prius colui , miles nunc arma reliqui ,  
Vestraque desertor dulcia castra sequor.

Artis ego cultor dicar, qua quilibet unus:

Subditus, et Dominus, Croesus(d)et Irus(e)eget.  
Ars mihi vestra placet, sed cui non illa placeret?

---

a) *Tyndaris*: hoc est Helene Iovis ex Laeda Tyndari (a quo Tyndaris) Laconiae Regis filia. Haec propter eximiam pulchritudinem bis raptæ fuit, Primum adhuc puella a Theseo , secundo jam Menelao nupta a Paride Trojano ejus hospite multis adulatio[n]ibus et promissis, quibus hoc flexible genus facile capitur, decepta.

b) *Theseus*: Aegei Athenarum Regis filius, quem Pater ex pacto cum Cretenibus in insulam Cretam misit, ubi Minotaurus ingens monstrum in horto Labyrinto , in quo omnibus introitus, exitus patebat nemini, asservabatur, quem generose occidit, et filo ab Ariadne accepto ex tot Maeandris feliciter evasit hunc:

c) *Gnosia*: id est Ariadne Minois Cretæ Regis et Pasiphae filia eximiae formæ virago , promissis et forma potentissimis armis decepta in Patriam redeuntem secuta fuit.

d) *Croesus*. Alyatae filius ultimus Lydorum Rex distissimus.

e) *Irus*: Mendicus Ithacensis , qui dum cum aliis absentis Ulyssis domum exhausisset, eum Ulysses ab expeditione Trojana reversus iectu pugni occidit vix hodie suffecturus occidendis ponitur pro quolibet paupere , sicut Croesus pro quolibet divite.

Quam tot praeclari, tot culuere viri.  
 Quas vos, has coluit celebres, Helmontius (a) artes,  
 Quà vos, hac Celsus (b) magnus ab arte fuit.  
 Hippocrates (c) meruit divos hac divus honores,  
 Et post hunc alii promeruere viri.  
 Haec etiam vestrum (venerit cum senior aetas),  
 Haec gravidum meritis nomen ad astra feret.  
 Ars mihi vestra placet, sed cui non illa placeret?  
 Quam quondam Heroes, quam coluere Duces.  
 Et Patroclus (d) erat, et erat dux magnus Achil-  
 les (e)

- a) Ioh. Bapt. Van. Helmont. unus ex viris sui  
 aevi doctissimus, acris et contenciosi ingenii homo  
 multis ex professo scriptis dissertationibus clarus,  
 Medicus praestans, multo praestantior Chemicus,  
 quem Cl. Sprengel in historia Medicinae jure merito  
 pro epæba statuit.
- b) Aur. Cornelius. Celsus. domo Romanus, vir-  
 doctissimus, qui Hipocraticam doctrinam sua lingua  
 tradidit purissime, et de arte medica scripsit omnium  
 cultissime, unde vulgo Medicorum Cicero audit.
- c) Hippocrates Cous Medicorum Princeps, facilis  
 ingenii et variae doctrinae, ex illustri Aesculapii pro-  
 sapia natus medicam Avorum doctrinam cum lacte,  
 hausit, medendi opere, felicitate omnes motales su-  
 peravit, in peste Attica, et Thessalica divinos hono-  
 res obtinuit. Plin. Secun. L. 7. C. 27.
- d) Patroclus: Maenetii Locrensis et Sthenelæ filius  
 qui occiso per ludum Aeane Amphidamantis filio in  
 Thessaliam fugit, ubi a Peleo propter generis propin-  
 quitatem susceptus una cum Achille apud Chironem  
 educatus est, a quo medicinam viriliter perdidicit,  
 ad bellum Trojanum profectus vulneris Euripidi fune-  
 stissimum curavit.
- e) Achilles: pelei ex Thetide filius in expeditione

Iste tamen cultor huius uterque fuit.  
 Vulnera nec puduit propriis sanare medellis,  
 Vulnera, quae fortis fortis ab hoste tulit.  
 Ipse sibi medicus (ast haec est cura fidelis)  
 Ipse sibi patiens unus et alter erat.  
 Ars mihi vestra placet, sed cui non illa placeret?  
 Quae! quae! culta Diis, culta Deabus erat.  
 Hanc pater, et Natus (a) inventor amabat Apollo,  
 Hanc coluit Iaso (b) nata puella Deo.  
 Tu quoque, qui summo nunc fulges summus  
 olympos  
 Phillirides (c) cultor maximus huius eras.  
 Scrutando varias, didicisti sedulus, herbas,  
 Quae plantae noceant, quaeque prodesse  
 queant.  
 Quis jam? quis proprias his praferet artibus  
 artes.

---

Trojana Dux celeberrimus, et armis asperrimus, Medicinae scientiis a Chirone celebri eius temporis medico, quo preceptor usus erat, jam puer haud mediocriter imbutus. Quae profecto scientia maximis personis maxime necessaria est, ne suam vitam, a qua multorum salus dependet, temeritati Medicastrorum improvidi commitant.

- a) *Natus*: id est Aesculapius Apollinis ex Coronide Nympha filius, qui Chironi medico educandus a patre traditus ab eo medicinam puer perdidicit, eaque sic excelluit, ut quia aegris valetudinem. desperatis redderet salutem, ad vitam mortuos revocare sit aestimatus, adeoque cum medicinam adhuc rudem subtilius excoluisset, inter Deos receptus est.
- b) *Iaso*: filia Aesculapii soror Hygiaeae utraque in arte medica, qua a patre imbuta est, celebris virago.
- c) *Phillirides*: id est Chiron patre Saturno, matre

Vult nisi fors magnos, laedere sponte Deos.  
Jactet quisque suaes, per me licet, arma, vel artes  
Rarus, qui socios jactat in arte Deos.  
Interea si quis velles certamen inire,  
Tenta fortunam Tu experiare Tuam.  
Palladium (a) Diomes (b) tentando Vellera (c)  
Iason (d)

---

Phillira, a qua Phillirides dictus, progenitus, hic  
ubi prius adolevit, in silvas se se contulit, ibique  
herbarum vires edoctus celebrissimus evasit medicus,  
post mortem unanimi Deorum consensu in coelum  
translatus sagitarii signum in Zodiaco efficit.

a) Palladium: Pallidis simulacrum in arce Trojana  
diu servatum, quod eo tempore, quo arx et templum  
Minervae aedificabatur de coelo cecidisse fertur, atque  
in templo nondum tecto, locum sibi delegisse quae,  
res cum omnium admirationem moveret, ab Apolline re-  
sponsum est, Urbem tamdiu fore incolumem, quam-  
diu statua illa intra moenia servaretur. Hoc simula-  
crum

b) Diomedes: Rex Aetoliae Tydei et Delphiles filius  
homo audax, cui in bello Trojano Una et Ulyssi  
negotium commissum est: ut per cloacas in Urbem ir-  
rumperet, et fatale simulacrum auferrent, abstulit,  
quo facto nullo labore Troja capta est.

c) Vellera: hoc est pellis arietis, quo Phryxus ab  
insidiis Novercae sibi male metuens per Pontum trans-  
vectus ad Aetam Colchocorum Regem confugit, ibidem  
Iovi immolavit, Pellem seu Vellus a colore aureo  
aureum dictum in Luco Marti sacro suspendit, adhi-  
bitis ad custodiā tauris naribus ignem vomentibus.  
Hoc vellus

d) Iason: Aesonis Thessaliae regis ex Alcimede filius  
generosi animi, et ad omnia magna natus adoles-

Tentando bravium miles ab hoste tulit.  
 Nobile tentamen, sed res est plena pericli,  
 Et nimium tristis exitus esse solet.  
 Pallada (a) quae doctam virgo tentavit Arach-  
 ne, (b)  
 Infelixque Tibi Marsya (c) testis erit.  
 Cuncta ferunt Superi, non possunt ferre super-  
 bos,  
 Disce Diis igitur cedere, tutus eris.  
 Utilis ars populo, morbos dum pellit atroces,  
 Et domat appositis atra venena modis.  
 Utilis ars cunctis, soli damnabilis orco,  
 Haec minuit censem Pluto (d) severe Tuum.  
 Terminus humanae (veteres sed deme Parentes)

cens navalem expeditionem in insulam Calchos speci-  
 piens occisis custodibus abstulit, et in patriam gloriose  
 reversus est.

- a) Pallas: unius Iovis filia sapientiae Dea, lanificie inventrix, et praeses, quantumvis autem hac in arte praestaret Pallas: tamen
- b) Arachne: Puella Lydia lanificii peritissima in contentionem cum Dea venire ausit, ast magno suo malo, illius enim opus Dea rupit et radio, quem manu tenebat — — — frontem percussit Arachnes, quae indignata se suspendit, cujus misera Dea in araneam commutavit, cui, — — — vive qvidem, pendetamen improba, dixit.
- c) Marsya: Tibicen artis suae jactans et adeo temerarius: ut cum Apolline de Musica certare non dubitaverit, sed infelici cum successu, a Deo enim vicitus et excoriatus in flumen sui nominis mutatus est.
- d) Pluto: Saturni et opis filius Frater Jovis et Nepenti qvibus, cum de regno sortitus Inferos obtinuit.

Terminus aetatis lustra bis octo fuit. (a)  
 Longior est vitae, nunc limes longior aevi,  
 Excedit metam, vis medicata, suam.  
 Saecula defluxis vos jungitis altera soeclis,  
 Et dicit longas lenta senecta moras.  
 Nec tamen haec magicis fas est producere succis,  
 Thessalis (b) in socero, queis nurus usa fuit,  
 Nec puto Vos magno vetulum quo coxit ahoeno.  
 Nec de Circaeis (c) hos rapuisse cadis.  
 Sed duce Naturā, naturae viribus usi,  
 Haec facitis Medici! gens veneranda, Viri.  
 Ast haec parva forent - animas e ducitis Orco.  
 Iure queo Medicos dicere semideos.  
 Regna tenet Dives (d) propriis viduata colonis,

---

a) *Lustra bis octo: idest 80 anni. allusio fit ad illud Vatis:*

*Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor. Psal. LXXXIX. v. 10.*

b) *Thessalis: proprie Medea Aetae colchorum Regis filia, et Jasonis Thessalis, quam Secum ex expeditione colchica attulit, uxor, Haec Aesonem Jasonis Patrem senio confectum veneficiis qvorum peritissima fuit, in pristinum Juventutis florem restituit.*

c) *Circe: solis et Perses Nymphae filia Sarmatarum Regis uxor, qvo veneno sublato, regnoque per seclus paeto, cum crudelius imperaret ab incolis pulsa in Italianam venit, et in monte circaeo tune Insula circa campaniam sedem sibi delegit, haec homines ad se venientes carminibus et veneficiis sicut et Ulyssis socios in varias bestias mutabat.*

d) *Dives: idem qvi Pluto, a divitiis, qvas apud Inferos possidere creditur sic dictus.*

Iamque Charon (a) paucos, quos rate ducat,  
habet.

Heu ! quoties Fratri (b) conquestus Pluto fuisset.

Tempora si nunc, quae praeteriere, forent.  
In vos ipse suas torsisset, credo, sagittas.

Quas Zeus (c) in natum torsit, Apollo Tuum  
Omnia dum penso, meritis dum confero Vestris,

Laudes deficiunt, et leve pondus habent.

Fine caret fateor ars haec quod vestra meretur,  
Dignaque nulla tulit praemia, nulla feret,

Ipse tamen vobis, quoniam est propensa vo-  
luntas,

Proposui metris gratificare meis.

Munera jam dedimus, aliis majora daturis,

Heu ! pariunt parvas, parva roseta, rosas

Munera, gemmifero, sed non quae dantur in  
Indo (d)

Nec quae purpurei volvit arena Tagi. (e)

---

a) **C**haron: Inferorum Portitor, cuius officium erat defunctorum animas per tria inferni flumina Acheron. ta, Stiga, et Cocytum ad aliam ripam transvehendi.

b) **F**ratri: hoc est Iovi, cui de Aesculapio quoque conquestus fuit, quod animas ab inferis reduceret, quem Iupiter sagittis transfodit.

c) **Z**e vs: lovius proprium nomen, sic dictus ἀπὸ τῆς Ζωῆς, quod animalibus vitam tribueret.

d) **I**ndus: Maximus Indiae fluvius, qui 60. fluvios maiores torrentes ultra centum in se excepit, gemmis abundare dicitur.

e) **T**agus: Lusitaniae fluvius aureas arenas sibi immixtas vehens.

Haec Samus (a) et sapidis haec volvit Amor-  
rois (b) undis,  
Flumina castaliis flumina grata choris.  
Haec mea, si vobis levidensia dona placebunt,  
Nil poterit votis gratius esse meis.  
Vivite felices canos per Nestoris (c) annos,  
Quos ut dent, magnis vota litabo Diis.  
Vos pia sobrietas morbo defendat ab omni,  
Vestra nec a vestra pendeat arte salus.

---

---


a) *Samus*: hodie Samusius unus ex maximis Transyl-  
vaniae fluviis a salubri, qvam potui exibet aqua ce-  
lebris, ad hunc fluvium sita est civitas Claudiopolis  
totius Provinciae Metropolis.

b) *Amorroi*s: maximus Transylvaniae fluvius, ho-  
die Marusius, olim Marus, Morossus et Amorroi  
dictus vid. Nicol. Olahum de Rebus Hung. L. 1. C.  
XIV. §. 3. huic fluvio adjacet Civitas Agropolis: ubi  
Poëta anno 1801. studiis initium fecit, et Humaniori-  
bus, ut ajunt, operam navavit, quibus Claudiopoli  
a. 1810. coronidem imposuit.

c) *Nestor*: Rex Pyli, qvi cum qvinquaginta Navi-  
bus, qvibus praeerat ad bellum troianum venit, cum  
tercentesimum ageret annum, consilii dexteritate, et  
dulci eloqvio nulli Secundus.

#### A d m o n i t i o .

Interpretatio pag. 10 sub Litera a et b, item c et d, dein  
pag. 11. sub. a et b.: per paria legenda est ut nexus  
historiae magis intelligatur, hic enim ex una littera in  
alteram fit transitus et perfectus sensus non nisi in uno  
pari habetur.



**UB WIEN**



+AM470194508